Adolpho Vorstio.
IV. Id. Apr. CIƆIƆCLIII.

Vir Amplissime ac Doctissime

Scriptoribus Rei Rusticae Latinis, ~~[illegible]~~ M. Catone, Ter. Varrone, Palladioque et L. Columellâ contubernalibus in Vitaulio meo uti soleo quam familiariter, qualis nimirum Coloniae anno CIƆIƆXXXVI. Ioannes Gymnicus in 8°. excudit. Haec editio cum de male polita sit, et nimis quam mendosa, consulendum te imprimis duxi, ut si quis praestantissimos autores meliori formâ vulgaverit indicare digneris, et quonam pretio exemplar ad me transmittere. Tum si quis eos aut notis aut Commentariis uberiore illustraverit expedies, Vir, gratissimum erit scire et meis sumptibus comparare. Reperiuntur in Catalogo officinali Victorius, Scaliger, Fulv. Ursinus et alii, qui tale quid moliti sint, dicti Heidelbergae apud Commelinos CIƆIƆXCIII in 8°. Et iterum Calo Lugduni Bat. ~~[illegible]~~ ap. Raphelingium CIƆIƆXCV. Item in 8°. memini ibidem Bernh. Zwingeri opusculum, quod methodum inscripsit Rusticam Catonis atque Varronis, Basileae editum CIƆIƆXCV. 8°. et Conr. Heresbachii de Rei Rusticae libros IV Spirae in 4°. excusos. ut et Monilegii simile quid à Ioachimo Camerario in 8°. CIƆIƆXCVI. Horum omnium si quid imitando mihi Agricolae tironi facere existimabis, aut recentius porro quid et praestantius elaboratum noveris, quaeso te certiorem facere me ne graveris, cuius ad te indagandum consilio precor te in omni Academia uti possim ditius aut expeditius. addam et amicius, si pro mansuetudine quae non nescio, sinitur nos otio me tuo tam familiariter abuti patiaris, in re nimirum à professione tua minus alienâ. Vale Vir amice, et opellâ meâ, cum fuerit usus, pari libertate fruere. Scrib. Hagaecom. IV. Id. Apr. CIƆIƆCLIII.

Tuus quidem multo

Eugenius.

[illegible]